



The Holy See

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA *URBIS*
(*TEMPLUM SS. MI NOMINIS IESU*)*

TEMPLUM SS. MI NOMINIS IESU DIACONIA FIT.

Quod ex antiquitate iterum iterumque factum a Decessoribus Nostris est, qui sacras urbis Romae aedes non solum singularibus privilegiis ditaverunt, sed ex iis etiam plurimas ut presbyterales titulos vel diaconias S. R. E. Cardinalibus assignaverunt, et Nos facimus qui, templum Ss. mo Nominis Iesu dicatum propensissimo animo iamdiu colentes, nova hodie celebritate insignire censemus, diaconiae collata dignitate. Est enim idem templum, artis magnificentia insigne, cura S. Francisci Borgia ibi loci erectum ubi S. Ignatius a Loyola, primum Romam petens, et sibi et sodalibus suis domicilium constituit, ad praesensque non solum sacellum quod maximi habetur Beatae Mariae Virginis a Strata continet, sed sedes etiam, omnium celeberrima, factum est quo frequentissimi christiani fideles ex omnibusque Ordinibus religiosi viri monialesque conveniunt, ut peculiare ad Deum preces supplicationesque praestitutis temporibus adhibeant. De apostolica igitur et suprema Nostra potestate templum Ss. mi Nominis Iesu ad *diaconiae* honorem attollimus, datis iuribus et privilegiis quibus huiusmodi in Urbe sacrae aedes iure et consuetudine fruuntur. Decernimus autem ut, eius cura qui modo eidem templo praeest, clero atque populo Nostrae hae sub plumbo Litterae perlegantur, primo post eas acceptas adveniente die festo de praecepto. Cuius rei, cum perfecta fuerit, congrua documenta exarentur ad Sacramque Congregationem Consistorialem quam primum mittantur, de more signata sigilloque impressa.

Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic

haberetur, si ostenderetur.

Datum Romae, apud S. Petrum, die quinto mensis Februarii, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo quinto, Pontificatus Nostri altero.

<p>IACOBUS A. Card. COPELLO S. R. E. Cancellarius</p>	<p>CAROLUS Card. CONFALONIERI S. Congr. Consistorialis a Secretis</p>
---	---

Franciscus Tinello

Apostolicam Cancellariam Regens Franciscus H. Ferretti, *Protonot. Apost. Decanus*

Ioannes Calleri, *Proton.*

Apost.

*A.A.S., vol. LVII (1965), n. 7, pp. 484-485 © Copyright 1965 - Libreria Editrice Vaticana